





DISPUTATIO JURIDICA <sup>85</sup>  
*INAUGURALIS* <sup>Dicata</sup>  
DE <sup>1657, 1</sup> 20  
**VENDICATIONI.**  
**BUS ET CONDICTIO-**  
**NIBUS IN GENERE**

Qua M  
**SUMMI NUMINIS AUSPICIO**  
DECRETO ET AUTHORITATE  
MAGNIFICI, NOBILISSIMI ET AM-  
PLISSIONI JURECONSULTORUM  
ORDINIS

**P R A E S I D E**  
**VIRO CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO**  
**DOMINO**  
**HENRICO DAVIDE CHUNONE**  
JURIUM DOCTORE, EORUNDENQUE IN  
IN ALMA ET PERVETUSTA HEIDELBERGENSI  
ACADEMIA PROFESSORE PRIMARIO, DICTÆ  
UNIVERSITATIS PROCANCELLARIO, FACULTATIS  
JURIDICÆ p t DECANO &c.  
Patrono & Praeceptore suo sempiternum colendo

**PRO CONSEQUENDIS IN UTROQUE JURE**  
SUMMIS HONORIBUS

Publicæ Eruditorum censuræ, & placido Examini subjicit

J. JACOBUS FUCHSIUS PALAT.

*Ad diem Decembris  
hora locoq; solitis*

HEIDELBERGÆ,

Typis AEGIDI WALTERI Ad. Typogr. Anno M. DC. LVII.

¶ ¶

SERENISSIMI PRINCIPIS PALATINI

AD RHENUM

S.R.I. Electoris, Architesaurarii & VICARII

Feudalis CURIÆ Præfecto

DN. JOHANNI FUCHSIO

Patri suo filialiter colendo

**P**rimitia Deo, Primitia Patri debentur, æquum quippe, meliora iis, unde optima, imò omnia. Ego sanè in ære Tuo innumera nomina facerem, nisi civilis inter Parentem & filium obligatio per leges occidisset, nunc, ubi hæc non tam mihi, quam Tibi ipsi tribuisse videris, in nullo Tibi debendi Reus, modò corpus & animam ex hoc nibilo demseris. Sunt enim hæc duo adeò post Deum tua, ut mihi ipsi hac tenus nihil in utrūque turis sit, sed à voluntate nutuque Tuo ambo æquè pendeant. Minùs dubia res est, quam ut argumentorum fulcris indigeat, Unum & ex re præsenti natum adduxisse sufficerit. Nostri Disputationum Inauguralium consuetos stylos, & quam libenter aliquantò largius in foliorum numero luxuriatur Adolescens ætas, vidisti etiam, quæ de Mercatura & Cambiis prolixè satis scripsimus, Verùm cùm & Te nervosæ brevitatis, & materia Theoricæ, cui sua non sit defutura, ut aiebas, aliquando Præxeos gloria, amantiorem deprehendissem, Subito mutavi vela, & in hos Actionum Realium & person. lium generalissimos Canones, quorum fabricatio non minus nova, quam defensio in conflictu difficillima, dilapsus, sic uberem & per Totum Ius diffusam materiam (ubi verò de Actionibus silentium?) brevibus pagellis inclusi, ut nee in opia rerum, quod Opposituris grave fuisset, nec verborum copia, unde Lecturos nausea mansisset, Disputatio nostra laboret. Quam Tu in filialis observantia & tenui orbenignâ fronte accipe, & sanguinem Tuum indefinenter amare perge.

Tuas Obsequientissimus Filius

AUTHOR



I. N. D. N. F. C.

De

## VENDICATIONIBUS IN GENERE.

Def.

**N**endicationes in genere, sunt Actiones, per quas Jus nostrum in re nobis restitui petimus. Dicuntur etiam petitiones l. 178. ff. de V.S. itemque Actiones Reales.

EXPLIC.

Omnium Actionum Realium causa est Jus in re, idque vel proprietatis vel possessionis vel pignoris vel servitutis. l.3. §.12. ad Exhib. qui habet proprietatem, propriè Dominus & in specie vindicare dicitur t.t. de Rei vind. quod & utiliter faciunt illi, qui Jus in re Dominio proximum habent, ut Emphyteutæ, Vasallı c.un. vers. rei autem 2. feud. 8. & 43. superficiarii l.73. §.1. & ll. seq. de R. V. nec non ij. quibus Jure Prætorio ex causâ Dominii facti, vendicatio concessa, quò refer Publicianam in rem Actionem §. 4. inst. de Act. ratione possessionis Actiones reales movere dicuntur, illi, qui ex causâ interdicti, pro possessione adipiscendâ vel retinendâ, extraordinariè agunt ff. i. ff. & C. de interdict. Ex Jure Pignoris, nascitur Actio Realis hypothecaria, sub se comprehendens & Servianam & quasi Servianam. Jure Servitutis dantur Actiones Confessoriæ Negatoriæq; Est enim quædam subtilis servitutum vindicatio & maximè libertatis arg. l. i. ff. si serv. vindicerur.

A 2

CANON

CANON I.  
*Omnis Vendicatio datur Domino.*

EXPLIC.

Placuit h̄ic iisdem terminis uti, quibus paulo p̄st de Conditionibus, quō actionum Realium à Personalibus distantia eō magis elucescat & memoriae nostrae per consonantiam terminorum eō melius consulatur. Quare Bachov. ad Treutl. vol. 2. Disp. 20. th. 1. dissentientem, qui tamen ipse ad §. 2. inst. de Act. n. 2. quoddam servitutis Dominum agnoscit, non moratus, latē h̄ic vocabulum Domini, imò abusivè accipio, quo sc: comprehendantur, Omnes, Jura in re th. præced. adducta, habentes nec non Creditores in fraudem suam alienata revocantes Actione Pauliana quoniam & h̄ec in rem Actio est §. 6. Inst. de Action. itemque Dominos, Patronos, Parentes ratione Juris in servos, libertos & filios sibi competentis actiones præjudiciales, quæ etiam in rem sunt §. 13. Inst. de Act. Diff. Vult. 3. Discept. Scholast. moventes.

CANON II.  
*Nulla vendicatio datur contrā Dominum.*

EXPLIC.

Qui enim habet suum, id ab eo peti, sicut & ultrà id ipse petere nequit l. 62. pro socio l. ult. C. depositi quæ in fraud. Cred. hinc Publiciana contrā verum Dominum non potest intentari l. pen. de Publici in rem. act. imò ne contrā titulo possidentem quidem, quod & producimus ad illum qui pro herede possidet Bach. de. Act. diff. 3. th. 21. Est enim pro herede titulus ad usucaptionem habilis t. t. ff. & C. pro herede: Dabo casus & exempla in conflictu. Quodd autem Vendicatio aliquando contrā Dominum dari videatur, veluti si quis servitutem à Domino proprietatis petat, id ex diversitate Jurium fit & quod quis hujus Juris Dominus, alius verò alterius esse possit, Canon verò intelligendus quoad idem, adeò non Obſt. l. 69. §. 3. si serv. vindic.

CANON III.  
*Omnis Vendicatio datur contrā possessorem.*

EXPLIC.

Omnis enim actio in rem est ad restituendam possessionem, quodl verum in vindicatione speciali l. 9. 13. 17. §. 1. de R. V. in servitutibus l. s. §. 4. & ult. si usus fr. petat. in possessione C. ult. de Restit. spoliatorum, in pignoribus l. 16. §. 3. de pignor.. Nec tamen semper ubi agitur ad versus possel-

5

possessorem est Actio Realis l. 20 §. 1. ibid. Cujac. de interrog. in Iure. Possessionem autem hic non propriè & strictè, sed latius accipimus. ut etiam comprehendat nudum detentorem l. 9. de R. V. Qui conventus & vocatus in Judicium, si authorem suum non nominaverit, Quæritur, an sententia contrà eum lata præjudicet Domino? Quod nos negamus cum Bart. cùm forma præscripta l. 2. C. ubi in rem Actio non sit observata. Diff: Bach. ac. T. eutl. vol. 1. Disp. th. 4. lit. D. item comprehendat illum, qui dolo malo desit possidere, etiam antè litem contestatam l. 27. §. sed & is de R. V. ( nec obstat, quòd hoc nomine Judicii mutandi causâ actio detur Bach. ad W. f. de alienat. iud. mut. §. 6.) & illum, qui fecit ne possidere inciperet c. 36. de R. I. in 6to quo casu contrà hos & possessorem novum simul agi potest. Cujac. 22. Obs. 29. per l. 150. de R. I. l. 41. ne quid in loco publ.

#### C A N O N . IV.

#### *Nulla Vendicatio datur contrà eundem*

##### E X P L I C .

Persona enim præcipue in considerationem non venit, sed quia restituenda res est. nec eam propriâ authoritate apprehendere licet, qui eam tenet, appellandus est. Bach. de Act. disp. 2. th. 5. in f. Sane fundant se Actiones Reales in Jure absolute, quod quis in Re prætendit, & ideo ubique illud jus est, apud quemcunque persequitur l. 25 §. 8. b. t. licet cum eo non sit contractum l. 13. §. ult. l. 14. 15 ff. de minor. & porrigit manus vel ad millesimum possessorem.

#### C A N O N . V.

#### *Nulla Vendicatio datur in heredem*

##### E X P L I C .

Quâ talem l. 42. 51. 52. 55. de Rei vind. Et hoc etiam innuit textus l. 7. C. de revoc. donat. ubi dicitur, hunc Vindicationis esse effectum, ut nec heredi detur, nec in heredem.. Quòd si autem heres quoque possessor sit, non idèò, quia defunctum repræsentat ut in actionibus personalibus, convenitur, sed quia rem possidet. Et hactenus noxales actiones realibus similes sunt l. 1. inf. Si quadrup l. 42. inf. de noxal..

#### C A N O N . VI.

#### *In omni Vendicatione fit declaratio*

##### E X P L I C .

Illiis Juris sc: quod Vindicatur. Sichard ad rubr. n. 10. de petit. hered. Sic in rei Vendicatione speciali per sententiam Judicis quis non fit

A. 33

Domini

Dominus, sed is, qui jam ante fuit, saltem declaratur l. 35. § 1. de R.V. & hinc l. 8. § 4. si servitus vindicetur ait, non debet servitus constitui, sed quæ jam est, declarari. In Actione hypothecariâ similiter declarat Judex actorem habere jus pignoris in re Bach. de Act. disp. 3. th. 38. Sic quoq; in interdictis declarat Judex, uter litigantium possideat vel possidere debeat. Hinc sequitur, Judicia divisoria Fam. ercisc. Communi divid. &c. non esse purè realia, nec purè personalia, ut vult Donellus, sed mixta, quia in iis per adjudicationem Judicis, primò fiunt Actoris ea, quæ antè ipsius non erant. §. ult. 1. de offic. judic. Diff. Vinnius in Comment. ad inst. de Act. §. 1. n. 11.

### CANON VII.

#### *Et denique restitutio*

EXPLIC.

Et hæc principalis hujus actionis intentio est atque petitio l. 9. 13. 17. §. 1. ff. de R.V. cum fructibus & omni causâ l. 20. §. 35. §. 1. ff. d.t. quod & expressè in Vendicatione pignorum decisum extat in l. 16. §. 4. de pignor. Diff. Faber. decif. 93. error. 1. & in vendicatione servitutum l. 4. §. l. 6. §. 2. pen. si serv. vindicetur.

### CANON VIII.

#### *Aut interpositio Iurisjurandi in litem*

EXPLIC.

Super æstimatione rei sc: in Vendicatione speciali l. 8. in f. de in litem jurando, super interesse verò in hypothecariâ. si reus dolo non restituat rem l. 16. §. in vindic. de pignor. Diff. Faber. decad. 92. error. 10. & 16. conject. c. 15. in confessoriâ l. 7. si serv. vindicetur in possessionibus l. 1. §. 4. uti possidebis l. 15. §. 9. quod vi aut clam.

### CANON IX.

#### *Nulla Vendicatio est pœnalis*

EXPLIC.

Persequitur enim tantum id quod Actori abest, dico Actori, tantum enim ex hujus personâ æstimatur, an aliqua Actio sit pœnalis an rei persecutoria, personâ rei æqualiter consideratâ. Et ideo licet in hæc actione in litem juretur & aliquando ratione ejus quod interest longè plus petatur, quam reo adest, non tamen erit pœnalis. Non Obſt. l. fin. in pr. de eo per quem fact. junct. l. 1. §. si plures. eod. Nec l. 1. §. 5. ne vis fiat ei junct. l. 1. §. 8. eod.

De



De  
CONDICIONIBUS  
IN GENERE

Def.

**C**ondictiones in genere, sunt Actiones in personam, ex Obligatione propter conventionem profectae. Vult. lib. 2. c. 6. I. P. R. seu sunt Actiones in personam, quibus Titum nobis aliquid dare facere contendimus.

EXPLIC.

Omnis Actio procedit ex Jure aliquo, quod quis circa rem habet, tanquam à causâ efficiente proximâ. Hoc jus duplex est Unum in re, alterum ad rem illud, ut supra dictum, multiplex, jus ad rem unum est, Obligatio sc: quæ actionem in personam parit. Vinn: Inst. de Act. §. 1. n. 2. Formula hæc de dando & faciendo extat §. 1. & 15. pr. inst. de Act. Cùm vero nobis vocabulo Condictio omnes Actiones personales ex Conventione descendentes, quod fieri posse ait Bach. diss. 4. de Act. th. 8. lit. A. veniant, non ineptè hîc objicitur, formulam illam non convenire nec accommodatam esse omnibus actionibus in personam, quippe in Actionibus Commodati, Depositi, pignoratitia & Dominum agere, unde nullus dationi locus, & appellatione faciendi restitutionem rei non rectè contineri, sed Resp. in tantâ diversitate actionum personalium certam & ex æquo omnibus competentem formulam dari non posse, & ideo verba in §. 1. Inst. de Act. & aliis quibusdam modis, quibus synonima sunt l. 1. in pr. de Obl. & Act. ex variis causarum figuris, propter eas actiones adjecta, quibus aliquid restitui vel exhiberi petitur, credendum Diff. Faber. 19. Conject. 20.

CANON I.

*Nulla Condictio datur Domino*

EXPLIC.

Ut rem suam esse dicat Bach. ad §. 14. Inst. de Act. n. 3. exceptâ Condictione furtivâ quæ etiam Domino datur, omnis autem Condictio in fure

6

fure degenerat l. ult. in f. ibiq<sup>z</sup> Goth. usu fr. quem adm. cav. l. 1. in f. de Condict.  
eritic. l. 14. l. 12. pr. de Condict. furtiv. §. 14. inst. de Act. l. 14. §. 16. de furt. Diff.  
iterum Faber decis. 78. error. 4. ubi statuit. condictionem sine causâ dari  
Domino. sed Respondetur esse speciale in l. 6. §. 5. rerum amot. Nec Obstat  
exemplum Legatarii, qui Condictio nēm habet & Vendicationem, cūm  
Dominus sit Bach. de Act. disp. 4. th. 10. lit. C.

### CANON II.

#### *Omnis Condictio datur non Domino contrā Dominum*

##### EXPLIC.

Quod de naturâ condictio nēm est, quamvis interdum fallat arg.  
l. 6. §. 5. & l. 25. rerum amotarum. Sunt autem hæc Duo Dominum & Ob-  
ligatio harum Actionum fontes sibi invicem oppositi vinn. ad inst. de  
Act. §. 1. n. 1. & seq. & sicut in Actionibus in rem Dominum ita in personā  
Reum obligatum habere debet Actor, si obtinere velit. Hic iterum se  
ostendunt Actiones Commodati, locati Depositū &c. in quibus & Do-  
minus condicere, & ille vindicare qui adversarium sibi habet obliga-  
tum videri posset. sed Resp. ipsi Commodanti & Deponenti non dari  
Actionem in rem contrā Commodatarium & Depositarium quā tales,  
quoniam hoc modo nullam petitori aut Dominii aut possessionis mo-  
vent controversiam, quod utique in Vindicationibus necessum est. §. 1.  
Inst. de Act. sed tantum velut Commodarius usum diurniorem sibi  
concessum prætendit. Quod si autem causam detentionis suæ negat,  
procul dubio indistincte Reivindicatione tenetur, & tum contumacia  
alicujus argui, & contrā eum in litem jurari, aut manu militari auferri  
potest.

### CANON III.

#### *Nulla Condictio persequitur fundum ejusve possessorem*

##### EXPLIC.

Est in l. ult. §. 1. de contrah. empt. l. ult. de in diem addict. Ratio est  
quod æris alieni obligatio sit personalis nec afficiat rem l. 1. §. 16. ad sen.  
Trebell. l. 25. §. 14. de petit. hered. l. 15. C. de donat. illeque Goth.

### CANON

## CANÓN IV.

*Omnis Condictio datur contra eundem*

### EXPLIC.

Et sequitur debitorem ut lepra leprosum, ut loquuntur Interpretes & Ias. ad. §. 1. inst. de Act. n. 2. quemadmodum etiam alius ab eo qui contraxit agere nequit, quod adeò obtinet, ut nec expressâ conventione partium fieri possit, ut aliis obligetur, vel alteri obligatio & Actio quæratur §. 3. & 4. & §. 18. Inst. de inutu. stipul. l. 38. §. 17. de V. Obl. licet hîc sint exceptiones, de quibus agere non est hujus loci. Et ex hoc maxima educitur differentia inter Dominium & Obligationem, & utriusque effectum, qui in Vindicationibus & Condictionebus spectatur, quod sive Dominium & Actio directa omnino de persona in personam transeat, sed non ita Obligatio & Actio in personam Bach. de Act. disp. 4. th. 3.

## CANON V.

*Omnes Condictiones ex Conventione descendentes (de quibus hîc sermo) transeunt in heredes & activè & passivè.*

### EXPLIC.

Dixi ex conventione, Ex ea enim solâ hoc pendet, quod actiones hæ descendant in heredes, minimè autem ex eo, quod rei persecutionem contineant, alias efficeretur, omnes rei persecutorias ex delicto transire in heredes in solidum quod falsissimum per l. 4. §. nlt. & ll. seq. de alienat. Iudic. mut. Nulla enim Actio ex delicto in heredem datur, sive illa sit poenalis pura, sive mixta, sive rei persecutoria ex delicto Bach. disp. 5. th. 4. Dissent. plurimi & novissimè Vinn. ad inst. de perp. & temp. Act. §. 1. n. 2.

## CANON VI.

*In omni Condictione fit Condemnatio vel Absolutio.*

### EXPLIC.

Quæ verba sunt Actionum personalium propria, sicut verbum Declarari realium, in Realibus enim ubi V. C. Dominus intendit rem suam esse, nulla fit condemnatio super Dominio, sed tantum Dominii declaratio, & de restituendâ possessione jussio hinc Theophilus Paraphrases Institutionum Imperialium Græcus ait, præjudicium, quod supra

B

inter

inter Vendicationes retulimus, constare solâ intentione <sup>ḡtē</sup> <sup>ḡtē</sup> <sup>ḡtē</sup> <sup>ḡtē</sup> <sup>ḡtē</sup>  
 diximus ēr <sup>ḡtē</sup> <sup>ḡtē</sup> <sup>ḡtē</sup> <sup>ḡtē</sup> <sup>ḡtē</sup> h.e. neque enim Condemnationem ullam habet in se, Dua-  
 ren.lib. 2. Disp. c. 2. Similiter l. 3. §. 11. de pecul. saltem de personalibus actio-  
 nibus intelligenda, cùm in realibus non contrahatur cum Adversario  
 per litis contestationem.

### CANON VII.

#### *Et tum oritur Iudicati Actio.*

##### EXPLIC.

Nulla enim iterum ex Actione Reali datur rei iudicatæ actio. Et  
 ideo etiam quatuor mensium tempus, quod humanitatis gratiâ con-  
 demnatis datur, personalibus Actionibus tantum est proprium. l. 2. 3. C.  
 de usur. nec ad Actiones reales, ubi Executio statim facienda, & res manu  
 militari auferenda l. 68 de R. V. trahendum. Imò nec ad eas actiones per-  
 sonales quidem, quibus agitur ad restituendum, de quib. Th. 1 & 2. in his  
 enim protinus Judex, si rem penes se reus habuerit, sicut in Actionibus  
 Realibus, Executionem facere debet Carpz. I. P. F. p. 1. Const. 32. def. 3. 4. 5. 6.  
 Quod autem diximus, nullam ex actione Reali dari Rei iudicatæ actio-  
 nem, fallit in casu, quo Actor in litem jurat, reo non parente, pro illâ  
 enim pecuniâ Actio JUDICATI datur Bach. de Act. Disp. 8. th. 4.

### CANON VIII.

#### *Omnis Condicio ex Conventione descendens est rei persecutoria.*

##### EXPLIC.

Nullus enim Contractus, nullum negocium civile tendit ad pœ-  
 nam, sed ad rem, imò ne stipulatio quidem, quæ licet pœnalis dicatur,  
 tamen magis rei persecutio est, in eâ enim pœna loco interesse petitur,  
 arg. §. 17. Inst. b. t. ibi vel in stipulatum &c. juncta l. 68. de V. Obl. Et hinc etiam  
 nulla Vendicatio est pœnalis, ut suprà dictum, ex quo Canone concludit  
 Bachov. divisionem illam in rei & pœnæ persecutorias, personalibus  
 esse propriam, nec ad reales, cum alterum membrum di-  
 visionis in eis deficiat, trahendam. Bach. de  
 Act. Disp. 5. th. 1. inf.

### COROL.

# COROLLARIA

## Ex JURE PUBLICO.

I Mperium semper est Nov. 6. in pr. Epil. nec ejus Dignitas moritur  
Caus. 12. q. 2. c. 65. licet interdum paulò diutiùs vacet. Et tum

II.

Vicariatus Electori Palatino ad Rhenum, non Bavariae debetur.

III.

Quotidiana ferè apud nos, & ad nauseam usq; repetita de Tutelâ  
Electoralı Questio est, forsitan tamē illud non ita tritū, & cuivis  
notum, quod ad Obj: CAROLUM IV. tunc nibil novi & præter  
Jus commune constituisse, si in casum deficientis Testamentariae,  
locus demum esset tutelæ legitimæ: solidè Respond. Illam Senioris  
tantum ad Tutelam vocationem satis esse novam, & à l. Civili  
paragradu Agnatos simul admittente, discrepantem; Deinde,  
Controversum ibi Jus patrui & nepotis per indirectum noviter  
decidi, & ita magnis motibus ex hoc dubio forsan prodituris, in  
tempore obviari.

## Ex JURE PRIVATO.

Promissio donationis causâ facta inter virum & uxorem, morte pro-  
mittentis non confirmatur, traditione non secutâ. Diff. Corras.  
s. Miscell. c. 1.

II.

Hypotheca constituta in rebus per beneficium l. 2. C. de Resc. vend. avo-  
catis, non extinguitur Bach. ad Treutl. vol. 2. Disp. 1. th. 2. lit. C.

III.

Emphyteuta donatione vel permutatione alienare potest Emphyteu-  
sin, inconsulto Domino. Vinn. Select. Jur. Quest. lib 2. c. 2.

IV.

Non est Antinomia inter l. 18. pr. de Reb. Cred. & l. cùm in corpus 30.  
de Adquir. Rer. Dom.

Ex



## Ex JURE CANONICO.

*De Jure Canonum, Viventis est hereditas. c. 3. Extra. Qui filij sint legitimi. Quaris Quomodo? Dicam in conflictu.*

II.

*Ex hoc Jure Juramentum, etiamsi contrà bonos mores Juris Civilis sit, est servandum.*

III.

*Concubinatus de Eo licitus non est.*

IV.

*Ridicula ratio est Canonum, matrimonium intrà quartum gradum contrahi prohibentium, ob id, quia in corpore humano sunt quatuor humores.*

## Ex JURE FEUDALI.

*Cui feudum traditum, præfertur illi cui promissum, etiamsi illa promissio prior, imò, etiamsi ab Imperatore facta sit.*

II.

*Feudi Filio fam. dati ususfructus Filio, non Patri acquiritur.*

III.

*Fæmina semel exclusa non censetur esse semper exclusa.*

IV.

*Potest quis duorum simule esse Homo Ligius.*

## Ex JURE CONSUESTUDINARIO.

*Fidejussores Dotum restituendarum reprobantur t.t. C. ne fidejussor dot. De moribus tamen, fidejussorem ultrò à marito datum obligari, sunt qui testantur*

II.

*De Iure Civili Matrimonium non est modus solvendæ patriæ potestatis: secùs de moribus.*

III.

*De Iure Civili Creditor pignoribus contentus esse non jubetur, sed tenetur Debitor debitum omnibus modis adimplere Edict. Iust. 9. c. 4 Contrarium tamen in debitis ante vel inter nuperas bellorum calamitates contractis in Imperio receptum, testatur plurimum locorum à personis etiam illustribus practicata Consuetudo.*

F I N I S.

b07

**ULB Halle**  
003 252 035



3

5b.





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black	White	3/Color	White	Red	Magenta	Yellow	Green	Cyan	Blue
-------	-------	---------	-------	-----	---------	--------	-------	------	------

D JURIDICA  
URALIS 85 3.  
1657, 20  
ATIONI  
NDICTIO.  
GENERE  
AM  
NIS AUSPICIO  
UTHORITATE  
ILISSIMI ET AM-  
ONSULTORUM  
NIS  
S I D E  
EXCELLENTISSIMO  
I N O  
IDE CHUNONE  
EORUNDEMQUE IN  
TA HEIDELBERGENSI  
RE PRIMARIO, DICTÆ  
CELLARIO, FACULTATIS  
DECANO &c.  
*sempiternum colendo*  
IN UTROQUE JURE  
NORIBUS  
& placido Examini subjicit  
CHSIUS PALAT.  
*Decembris*  
*solitis*  
BERGAE,  
ad. Typogr. Anno M. DC. LVI.

